

DE
DATIVI FINALIS QUI DICITUR
USU TACITEO

COMMENTARIOLUM.



SCRIPSIT

VILELMUS KNÖS.




UPSALIÆ MDCCCLXXVIII
TYPIS IESAIÆ EDQUISTII



INDEX RERUM.

	Pag.
I. De dativo effectus. Esse alicui curæ. Dare alicui crimini	3
1. De dativo effectus coniuncto cum verbo substantivo	11
2. De dativo effectus, qui vel cum intransitivis verbis coniunctus est vel in appositionis loco positus, . .	19
3. De dativo effectus coniuncto cum transitivis verbis <i>dare habere sumere</i> sim.	21
4. De dativis <i>auxilio præsidio subsidio</i>	24
II. De dativo finali nominum	26
1. De eo huius dativi usu, qui Tacito cum prioribus scriptoribus est communis,	26
2. De usu huius dativi apud Tacitum latiore	28
III. De dativo finali gerundii gerundivique	31
1. De hoc dativo ex verbis pendente vel cum tota enun- tiatione coniungendo	31
2. De hoc dativo ex adiectivis pendente vel cum adiec- tivis proxime coniungendo	39
3. De hoc dativo cum nominibus proxime coniungendo .	40



Cornelium Tacitum quum in aliis grammaticis rationibus permultis ab usu optimorum scriptorum vel eorum, qui aureæ, quam vocant, sunt ætatis, recedere, tum, si quærimus, quam in usu dativi finalis, qui dicitur, viam ac rationem secutus sit, ultra usum priorum scriptorum progressum sua et propria protulisse, ii, qui in scriptis eius interpretandis vel in arte grammatica latinæ linguæ pertractanda versati sunt, iam haud raro contenderunt¹⁾. Neque tamen, quod sciam, quisquam orationis genus Taciteum hac ex parte copiosius accuratiusque perscrutatus est. Atqui hac ætate, quum in dicendi genere singulorum scriptorum et græcorum et latinorum etiam minimis ex partibus perscrutando et examinando docti viri diligentissime versantur summumque consumunt laborem, ac, si hunc ipsum scriptorem respicimus, de plurimis partibus capitibusque elocutionis eius est disputatum, haud alienum mihi videbatur, si quid ex usu dativi casus Taciteo aliorum scriptorum, ubi aptum videbatur, instituta comparatione, in medium proferrem. Ac sane operæ pretium putandum est cognoscere, quæ hic scriptor, a cuius scribendi genere omnis temeritas orationis videatur abhorrere, in ea grammatica ratione, in qua a priorum scriptorum dicendi consuetudine eum procul abesse inter omnes constat, aut ad similitudinem aliorum dixerit aut

¹⁾ Hic satis erit attulisse ea, quæ dicit Draeger, *Historische Syntax der Lateinischen Sprache I* [Zweiter Theil: Zweite Hälfte, Leipzig 1874] p. 406. De dativo finali, qui vocatur, disserens hæc habet verba: «In diesen freieren Anwendungen des Dativs geht Tacitus von allen Schriftstellern am weitesten».

prorsus novaverit, denique quam late dativi finalis, qui dicitur, usus apud eum pateat.

Sunt vero, qui etiam in hac syntaxis Taciteæ parte elaboraverint. Summa laude dignus est Draeger, qui re in brevi conspectu posita docuerit, quæ Tacitus in omni grammatica ratione maxime sua propriaque habeat¹). Sed singula capita non copiosius elegantiusque exquisivit. Deinde — ut de aliis doctis viris, qui in singulis partibus elocutionis et syntaxis Taciteæ sunt versati, non dicam — partes quasdam, quæ cum ea, quam hic tractandam nobis delegimus, aliquatenus cohærent, tractarunt Zernial²) et Maué³).

Tum nominandi sunt ii, qui de hac ipsa syntaxis latinæ particula aut universa aut apud singulos scriptores copiosius egerunt. De eo dativi usu, qui in verbis *curæ esse, crimini dare* conspicitur, quam late in latina lingua universa omnino pateat quibusque finibus circumscribatur, docte eleganterque quæsivit Roby⁴). De eadem ipsa re in Ciceroniana elocutione copiosa oratione disserit Nieländer⁵).

Restat ut paucis exponamus, quam viam ac rationem in hac quæstione secuturi simus. Primum igitur de eo dativi finalis, qui dicitur, genere agemus, quod minus apte ex nostra quidem sententia hoc nomine appellatur,

¹) A. Draeger, Ueber Syntax und Stil des Tacitus. Zweite Aufl. Leipzig 1874.

²) U. Zernial, Selecta quædam capita ex genetivi usu Taciteo. Dissertatio. Gottingæ 1864.

³) H. C. Maué, De præpositionis 'ad' usu Taciteo. Dissertatio. Moenofrancofurti 1870.

⁴) H. J. Roby, A Grammar of the latin language from Plautus to Suetonius. II. Second edition. London 1875. Preface, p. xxv—lvi.

⁵) Nieländer, Der factitive Dativus in den Ciceronischen Schriften. Programm. Krotoschin 1874. Ex annotatione quadam a Kühnero, Ausführliche Grammatik der Lateinischen Sprache. Zweiter Band. Hannover 1878, p. 252, facta cognovi eundem virum alteram harum quæstionum partem nuper emisisse, quam videre mihi non contigit.

dico dativos, quales sunt ii qui in verbis *curæ esse*, *crimini dare* insunt, tum dicemus de dativo finali nominum, postremo de dativo gerundii gerundivique, quo sæpissime finem propositum significari satis constat.

I. De dativo effectus.

Esse alicui curæ. Dare alicui crimini.

Qua via ac ratione hi dativi *curæ* et *crimini* quique iis sunt similes intellegendi sint atque interpretandi, nequaquam consentiunt ii, qui hac ætate in arte grammatica latinæ linguæ tractanda maxime excellunt vel summo studio versantur. Plerique hunc dativi usum cum iis dativis coniungunt, qui, ut exempla afferam, insunt in verbis *locum castris capere*, *colloquio diem dicere*, *receptui canere* al., et censent his dativis significari consilium quoddam vel id quod quis sibi proposuit sequiturque (suetice 'ändamål', germanice 'Absicht, Bestimmung, Zweck', francogallice 'but', anglice 'purpose'), unde huic dativi generi nomen dativi finalis est impositum. Sed iam pridem alii docti viri negant eum dativi casus usum, de quo hic agimus, ista ratione esse intellegendum vel istis finibus circumscribendum. Ac primum de hac re pauca disseramus, inquirentes, quo modo hi dativi accipiendi sint et quam vim significationemque videantur habere.

In hac quæstione proficiscendum est ab iis locis, in quibus inest verbum substantivum *esse*, quia isti loci multo frequentiores sunt quam ii, in quibus aliud est verbum ut *dare habere ducere* sim., atque haud scio an etiam sint vetustiores¹). Accedit quod hi loci, in quibus est verbum

¹) Inspiciatur index vocum, quæ in hoc dativi usu sunt, locorumque, quem confecit Roby, A Grammar of the latin language. II. Preface, p. XXXVII seq. Quod verba *ludibrio habere*, *irridiculo*

transitivum, illis locis ad explicandum adhibitis facile intelleguntur ideoque ex iis videntur manasse. At etiam si nobis conceditur, ut ex iis locutionibus, in quibus hic dativus cum verbo substantivo coniungitur, in hac causa explicanda proficiscamur, fortasse alii loci aliam explicationem admittunt vel etiam requirunt, quam ob causam difficile est de omnibus quid iudicandum sit statnere. Est quidem, ut omnes locos percensere vix possimus, sed satis erit hos locos ad vocum significationes earumque discrepantiam in diversas classes distribuere et in unum vel alterum locum singularum classium inquisivisse, nisi iam pauca sufficient. Dicta vulgata proferamus. Si dicimus: *hæc* (literæ, historiæ cognitioque rerum, poetarum evolutio) *mihî sunt voluptati* (cf. Cic. de Fin. I 7, 25), non id dictum volumus, hæc (literas historias cetera) id spectare, ut voluptate me afficiant, vel harum rerum finem propositum meam esse voluptatem. Nihil aliud dicimus quam: 'hæc voluptatem mihî afferunt', quod ex loco illo Ciceroniano manifeste apparet, quum antecedant verba *quid tibi, Torquate, quid huic Triario literæ, quid historiæ cognitioque rerum, quid poetarum evolutio . . . voluptatis adfert*, quibus verbis ea quæ sequuntur *mihî sunt voluptati* accuratissime videntur respondere, ut putandum sit utrumque dictum idem prorsus valere eodemque redire. Cic. pro Planc. 10, 26 dicit: *cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas præsentis preces non putas profuisse?* Hic non de fine quodam, quem nomen Ciceronis sequeretur, dicitur, sed duo enuntiationis membra verbaque *honori esse* et *prodesse* inter se respondent. Tum est apud Tacitum¹⁾ An. III 28, 6 *deterima quæque inpune ac multa honesta exitio fuere*. Num

haberi al. sunt apud Plautum, non item *ludibrio, irridiculo esse*, huic rei non multum tribuendum est momenti, quum negari non possit etiam has locutiones Plauti temporibus in usu fuisse et fortasse per-vulgatas. Terentius dicit *ridiculo esse*. In longe plurimis vocibus vetustior est usus verbi substantivi.

¹⁾ In locis Taciteis afferendis ubique editionem Halmii tertiam (Lipsiæ 1875, 1876) secutus sum.

honeste facta id quasi sibi proposuerant vel id spectabant, ut ea exitium insequeretur? Ac quum dicitur Agr. 31, 10 *Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic et quæ sequuntur, num putabimus Tacitum dictum voluisse recentissimum servum id sibi propositum habere vel id sequi, ut a conservis irrideatur?* His allatis locis satis demonstrasse mihi videor in hoc dativo nequaquam inesse significationem consilii vel finis propositi.

Iam vero sunt qui dicant hunc dativum esse pro prædicato. Horum in numero præcipue nominandus est Roby¹⁾, qui etiam nomen prædicativi huic dativo indidit. Quam sententiam ut demonstret, locos haud paucos affert, in quibus ea vocabula, quæ in hoc dativi usu persæpe inveniuntur, cum verbo substantivo coniuncta non in dativo, sed in nominativo casu (vel in accusativo) sunt posita. Ad quos locos perfacile alii addi possunt²⁾. Ac videntur sane hi loci, in quibus pro dativo casu, quem expectaverimus, est nominativus (vel accusativus), ad eos, in quibus est dativus, quam proxime accedere, ut prope putandum sit nullam prorsus inter utrumque usum intercedere significationis differentiam. Sed si accuratius hos locos inspicimus, haud scio an differentia quædam insit. Primum eos locos seiungamus oportet, in quibus ad substantivum adiungitur adiectivum, quod non est *magnus maior tantus* sim., quum alia adiectiva cum hoc dativo non coniungi satis constet. Seiungimus igitur locos, quales sunt Liv. I 52, 4 *recens documentum*, Liv. XXI 19, 10

¹⁾ Latin Grammar II Preface p. xxvii. Ceterum aliqua ex parte hoc contendunt Haase, Reisig's Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft, Leipz. 1839, p. 670 ann. 546, Schultz, Latein. Sprachlehre, Vierte Ausg. Paderborn 1857, § 269 Anm. Nieländer, Der factitive Dativus in den Ciceronianischen Schriften, p. 3, dicit hunc dativum id agere, ut significationes quorundam verborum, quæ ipsa non sufficient, iuste expleat, quam ob causam nomen prædicativi proponit, sed in hanc rem non accuratius inquit. Sequitur eum Kühner, Ausf. Grammatik der Latein. Sprache II: 1, p. 252, § 77, 3.

²⁾ Cf. Kühner, Ausf. Lat. Gram. II p. 255, § 77 Anm. 1.

insigne documentum, Liv. IV 37, 9 *indiciū primum*, Liv. VII 35, 7 *una salus*, Tac. Agr. 35, 6 *ingens decus*¹⁾, An. III 28, 16 *modicum levamentum*. Tum si in alios locos diligentius inquirimus, non eadem prorsus videtur sententia esse, ubi scriptus est nominativus (vel accusativus) atque in illis locis, qui dativum præbent. Priusquam autem de hac re disseramus, inquirendum est nobis, quæ in his dativis, de quibus agimus, inesse putanda sit vis atque significatio.

Regrediamur ad locum supra commemoratum Cic. de Fin. I 7, 25. In illo loco verba *mihī sunt voluptati* et ea quæ præcedunt *quid tibi . . . voluptatis adfert* prorsus idem significare concedendum est, quum artissime inter se respondeant et hoc dictum gravioris dicendi generis fuisse videatur, illud cotidiani sermonis²⁾. Tum afferimus Cic. de Or. II 49, 200 *si is, qui . . . civibus saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem*, ubi verba illa *auxilium ferre* idem valere nobis putandum est atque *auxilio esse*. Ex hac ratione alios quoque locos aliasque locutiones interpretamur. 'Hæc res mihi est delectationi, solacio' nihil aliud est quam 'hæc res mihi delectationem, solacium affert' vel, ut ita dicam, 'efficit'. 'Hoc ei est honori' idem est atque 'hoc honorem ei affert, honore eum afficit', 'absolutioni est' idem quod 'efficit absolutionem, efficit ut aliquis absolvatur', 'utilitati est' idem quod 'utilitatem affert', 'multa honesta exitio fuere' idem quod 'exitium attulerunt, effecerunt, ad exitium duxerunt', 'esse miraculo'³⁾ idem quod 'mirationem facere', 'esse ludibrio,

¹⁾ *Legiones pro vallo steterē, ingens victoriæ decus citra Romanum sanguinem bellanti* (*bellandi* Kritz, Peter), et *auxilium, si pellerentur*. Hunc locum ita intellegimus: *steterē* magno decori victoriæ (suet. 'segerära') bellanti (i. e. Agricolaë) et *auxilio* pugnantibus (vel subsidio auxiliis peditum equitibusque). In appositionis loco utrumque membrum est positum, et auditur participium quoddam, ut est *ὄβσας*. Durior est huius loci explicatio, si retinemus lectionem cod. *bellandi*.

²⁾ Cf. Nieländer, *Der Factit. Dativus in den Ciceron. Schr.*, p. 8.

³⁾ *Miraculum* in hoc dicto non est res mirabilis, factum mirabile, sed pro abstracto, quod dicitur, accipiendum.

derisui' idem quod 'ludibrium, risum movere, concitare', 'esse argumento' idem quod 'argumentum afferre'. Hoc modo si locutiones illas interpretamur, omnia fere bene fluere videntur, atque probatur dativum casum in hoc usu significare id quod efficitur ea re, quæ est subiectum, quod dicitur, enuntiationis. Atque si supersunt dicendi genera, quæ huic interpretandi rationi videantur repugnare, veri simile videtur ad vetustissimarum locutionum similitudinem alia ac nova esse formata. Ita *cordi alicui esse* sine dubio ad varietatem orationis assequendam ortum est e dicto vulgato *esse alicui curæ*. Restant locutiones quædam, ut *amictui, cibatus alicui esse* sim., de quibus infra nobis dicendum est.

Iam revertamus ad eam rem, de qua nobis erat disserendum. Quæritur, num quid intersit inter eos locos, qui hunc, de quo agimus, dativum præbent, et eos, in quibus pro illo dativo est nominativus (vel accusativus). Ex locis a Robyio allatis afferamus Cic. Verr. Act. I 4, 11, ubi legitur *cuius legatio exitium fuit Asiæ totius et Pamphyliaë*. Quibus verbis Cicero non id dixisse nobis videtur. legationem eius viri, de quo loquitur, Asiæ toti attulisse exitium, sed — quod multo gravius vehementiusque dicitur — *fuisse* exitium (suet. 'utgöra') i. e. in legatione eius exitium Asiæ totius et Pamphyliaë esse positam vel constitisse. Simili ratione alii huius modi loci accipiendi videntur. Cic. de Fin. II 18, 50 *cuius mors tibi emolumentum futura sit* idem est atque si dicimus eius morte tibi emolumentum contentum iri. Atque etiam si locos illos Ciceronianos inter se simillimos, quibus allatis Roby sententiam suam firmatam censet, consideramus, dico Tusc. Disp. I 14, 31 *Maximum vero argumentum est naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curæ sunt et maximæ quidem, quæ post mortem futura sint* et Sen. 21, 78 *magnoque esse argumento homines scire pleraque ante quam nati sint, quod iam pueri . . . ita celeriter res innumerabiles adripiant* eqs., haud scio an etiam hic intersit aliquid, quum in illo loco dicitur maximum argumentum ea re contineri, quod omnibus curæ

sint quæ futura sint, et in hoc eam rem, quod pueri ita celeriter discant, afferre (præbere) magnum argumentum¹). Quamquam facile concedo non magnam esse inter utrumque dicendi genus differentiam. Sed id perfacile quis sibi persuaserit huic elocutionis differentię suam esse causam suamque rationem. In omni exulta lingua locutiones exstant, quæ specie quidem sunt consimiles eodemque videntur redire, sed reapse inter se discrepant et ad orationem varietate colorum distinguendam plurimum valent.

Tum animadvertendum est Robyrum, ne ex eius explicandi ratione sententia nulla existat vel sensus prorsus evertatur, persæpe addere vocem, qua significatur causa vel tale quid, ut *absolutioni*, *crimini* 'ground for acquittal, charge', *voluptati* 'a source of pleasure', *curæ* 'a subject for care'. Mirandum videtur et ex quo quasi fonte hæc vocabula haurienda sint et quam ex causa factum sit, ut in his dicendi generibus pro eo casu, qui prædicati vice ubique fungitur, dico nominativo (vel accusativo), alius, cui aliud et suum est munus, adhibeatur.

Satis apparet hunc dativum, etsi non pro prædicato accipiendus sit, id agere, ut verba, quæ ipsa ad sententiam efferendam non sufficiant, iuste expleat. Sed eadem est ratio genetivi et ablativi qualitatis, neque tamen hos casus in isto usu pro prædicatis habemus.

Iam si quærimus, quam vim significationemque id dativi genus, de quo dicimus, habere videatur, hoc ex eo efficitur, quod iam disseruimus. Ostendimus enim hoc dativo significari, quid aliqua res afferat, efficiat, quam ob causam ad verum quam proxime accedere videmur, si dicimus hunc dativi usum demonstrare effectum quendam vel aliquid, quod ea res, cuius mentio fit, alicui efficit²).

¹) Ex hac ratione intellegimus, quod, ut docet Madvig, Latein. Sprachl. § 249 ann., ab optimis scriptoribus sequente enuntiatione secundaria dicitur *maximum est argumentum*, non facile item est *argumentum*, *documentum*.

²) Dicit Madvig l. c. § 249 hoc dativo significari effectum (Wirkung).

Venimus ad eas locutiones, in quibus inest verbum transitivum, ut *dare ducere habere vertere*. De his dicendi generibus iam Haase¹⁾ ingeniose animadvertit verba illa *dare ducere* sim. nihil aliud esse nisi temperationem quandam verbi substantivi *esse*, qua re *laudi vertere* idem sit atque *credere* vel *dicere laudi esse*. Ita putamus in dicto Ciceroniano *Summam laudem S. Roscio vitio et culpæ dedisti* eandem inesse sententiam atque si dicitur: 'dixisti summam laudem S. Roscio vitio et culpæ esse' vel 'summam laudem (id quod summa est laus) S. Roscio attulisse vitium et culpam'. Dicit Cic. ad Fam. II 16, 3 *Etenim memini in hoc genere gloriari solitum esse familiarem nostrum Q. Hortensium, quod numquam bello civili interfuisset. Hoc nostra laus erit illustrior, quod illi tribuebatur ignaviæ: de nobis id existimari posse non arbitrator*. Quæ verba ita interpretamur: putabant id, quod bello civili non interfuisset Hortensius, ei esse ignominiam vel putabant hoc ei efficere ignominiam i. e. hoc efficere, ut ex sententia civium ignavus esset, vel hoc efficere eum ignavum esse²⁾.

Hic annotandum est ad verba illa transitiva, quod sciam, non inveniri accusativum pro dativo usurpatum nisi in dictis *donum dare, ferre, mittere* sim., quæ cum dicendi formulis *dono dare, accipere* sim. conferimus, sed qua ratione hic dativus *dono* explicandus sit, dubitari potest.

Annotat Schultz³⁾ pro eo, quod est *gloriam alicui crimini vertere*, nonnumquam dici *gloriam alicui in crimen vertere*. Iam Zumpt⁴⁾ putat his dictis diversas subesse significationes. Atque facile intellegitur *vertere in mu-*

¹⁾ Reisig's Vorles. p. 670, ann. 546.

²⁾ Nieländer, der factit. Dativ in den Cicer. Schr. p. 25, dicit hoc dativo *ignaviæ* significari causam, cur Hortensius bello civili non interfuisset. Hanc interpretandi rationem ab hoc dativi usu prorsus abhorreere non est quod moneam.

³⁾ Latein. Sprachlehre § 269, Anm. (in fine).

⁴⁾ Latein. Gramm. § 422, Anm. (in fine).

tandi significationem habere in sententiis, ut sunt H. II 42, 1 *Attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit*, H. III, 86, 7 *inerat tamen simplicitas ac liberalitas, quæ, ni adsit modus, in exitium vertuntur*, An. I 51, 18 *properarent culpam in decus vertere*, An. I 73, 11 *non ideo decretum patri suo cælum, ut in perniciem civium is honor verteretur*.

Quoniam de significatione huius dativi disseruimus, pauca dicemus de nomine. Ex iis, quæ iam disputavimus, efficitur, ut nomen finalis dativi nequaquam adhibendum sit, quum hic dativus minime indicet quendam finem vel quoddam consilium. Neque aptius videtur nomen prædicativi, quum ad prædicatum supplendum quidem adhibeatur, sed non pro prædicativo accipi possit vel idem valeat atque nomen in nominativo vel accusativo pro prædicativo positum. Id, quod Nieländer usurpat, nomen factivi obscurius videtur neque significationem vel usum accuratius exprimit. Atqui satis apparet nomen ipsum ex ea, quæ huius dativi est, vi ac significatione esse sumendum. Quam ob causam, quum hoc dativo maxime effectus quidam significetur, aptissimum videtur eum dativum effectus appellare.

Sequitur ut paucis indicemus, ad quam rationem omnes locos, in quibus hic dativus effectus inest, distributuri simus. Primum igitur agemus de iis, in quibus vel legitur vel simul auditur verbum substantivum. Nihil enim curo, verbum *esse* scriptum sit an audiendum, quum Tacitum illud vocabulum sæpissime etiam in secundariis enuntiationibus omisisse satis constet. Deinde de locis quibusdam disseremus, in quibus aut pro verbo substantivo intransitivum verbum est aut dativus effectus in appositionis loco positus videtur, qui quidem loci cum proximis artissime cohærent. Tum ii loci afferendi sunt, in quibus est verbum transitivum *dare ducere habere vertere* sim. Postremo de dativis *auxilio præsidio subsidio* separatim dicemus, quæ cum verbis eundi mittendi sim. sæpissime coniungi notissimum est. De dativis *dono mu-*

neri in altera parte dicemus, quum veri similis sit eos pro veris dativis finalibus, non pro dativis effectus, accipiendos esse.

Omnes hos dativos secundum varias earum significationes in certas classes distribuere placet. ne verba, quæ artissime inter se cohæreant, seiungantur et quo facilius usum Taciteum cognoscamus.

1. De dativo effectus coniuncto cum verbo substantivo.

Præponimus indicem vocum locorumque.

A. Esse alicui solacio, curæ, cordi, pudori, rubori, poenitentia.

Tacito cum superioribus scriptoribus communia sunt hæc dicta:

Solacio alicui esse. Hoc dictum a Cicerone Cæsare Livio aliis usurpatum invenimus. Apud Tacitum legimus D. 15, 13 *Et quod quibusdam solacio est, mihi auget questionem, quia video etiam Graiis accidisse* eqs. H. IV 3, 8 *Solacio fuit servus.... patibulo adfixus* eqs.

Curæ alicui esse. Pervulgata hæc sunt verba inde a Plauto et Terentio, sæpissime a Cicerone et Ovidio usurpata neque ab aliis repudiata. Persæpe accedit adiectivum, quod est *magnæ, maiori, tantæ* sim. Tacitus hæc exempla præbet. H. I, 3, 11 *nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus . . . adprobatum est non esse curæ deis securitatem nostram, esse ultionem.* An. I 73, 17 *Ius iurandum perinde æstimandum quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias dis curæ.* An. VI, 22, 6 *Quippe sapientissimos veterum . . . diversos reperias, ac multis insitam opinionem non initia nostri, non finem, non denique homines dis curæ;* eqs. An. XII 48, 3 *pau- cis decus publicum curæ, plures tuta disserunt.*

Cordi alicui esse. Hoc dicendi genus proximo, si significationem respicimus, simillimum a Plauto Terentio

Cicerone Livio aliis adhibetur. Apud Tacitum id non invenimus nisi in Historiis. H. III 53, 16 *illis Moesiæ pacem, sibi salutem securitatemque Italiæ cordi fuisse.* H. IV 58, 25 *si vobis non fuit cordi me duce hæc castra . . . servari eqs.* H. IV 81, 18 *Id fortasse cordi deis, eqs.*

Pudori alicui esse. Notissimum est Horatianum illud Od. II 4, 1 'Ne sit ancillæ tibi amor pudori'. Ceterum est hoc dictum apud Livium Valerium Maximum alios. In scriptis Taciti invenimus: An. II 37, 15 *Nam ego . . . satis habebam, si tenues res meæ non mihi pudori nec cuiquam oneri forent.* — An. IV 57, 10 *Erant qui crederent in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse.*

Rubori alicui esse ab Ovidio aliisque usurpatur. Apud Tacitum legimus: An. XI 17, 5 *Nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos volentibus Germanis sumptam nunquam omisisset.* An. XIV 55, 16 *unde etiam mihi rubori est, quod præcipuus caritate nondum omnes fortuna antecellis.*

Restat unum huius classis dictum, quod ante Tacitum, quod sciam, non invenitur et quidem apud eum in coniectura est positum.

Pænitentiae alicui esse. Habet Halm An. V 4, 8 *disserebatque brevibus momentis summa verti; posse quandoque domus Germanici exitium pænitentiae esse seni.* In Mediceo primo est germanicis titium pænitentiae senis. Madvig coniecit *p. q. Germanici stirpem resurgere; darent spatium poenitentiae senis.*

Aliæ voces, quæ significationis respectu habito ad hanc classem referendæ sunt, ut 'esse alicui gaudio, lætitiæ, delectationi, voluptati, dolori, sollicitudini', sim., quæ quidem ab aliis scriptoribus haud raro adhibentur, apud Tacitum nusquam vidimus.

B. Esse alicui absolutioni, crimini, obtreccioni.

Pervulgatum est hoc dictum:

Crimini alicui esse, quod et apud Ciceronem Livium al. legitur et quidem apud Tacitum An. II 50, 11 *dein proximo senatus die illius quoque nomine oravit, ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent.*

Apud alios scriptores hæc dicta non invenimus.

Absolutioni alicui esse. Unum est huius vocabuli exemplum, ubi alii vocabulo subiungitur: An. III 13, 5 *quod neque convictum noxæ reo, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur maioribus flagitiis.*

Obtrectationi esse alicui Tacito proprium videtur esse. Agr. 1, 11 *nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit.*

Annotamus verba, qualia sunt 'esse alicui honori, decori, dedecori, infamiæ, gloriæ, laudi, culpæ, vituperationi', sim., apud alios scriptores sæpius rariusve inveniri, apud Tacitum nusquam.

C. Esse alicui bono, usui, præsidio, obtentui, impedimento, oneri, noxæ, exitio, excidio.

Tacito cum prioribus scriptoribus communia sunt hæc dicta.

Bono alicui esse, ex usu Ciceronis aliorumque scriptorum perbene cognitum, est D. 9, 6 *Licet hæc ipsa . . . aures tuæ, Materne, respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur.*

Usui alicui esse dictum est inde a Plauti temporibus pervulgatum. A Plauto semel additur adiectivum, quod est 'bono', a Cicerone sæpissime adiunguntur adiectiva, qualia sunt 'magno. maximo, nullo' sim. Loci Tacitei sunt hi: H. I 79, 14 *Sed tum umido die et soluto gelu neque conti neque gladii, quos prælongos utraque manu regunt, usui, lapsantibus equis et catafractarum pondere.* H. III 5, 1 *Ceterum ut transmittere in Italiam bellum inpune et usui foret, scriptum eqs.* H. III 20, 23 *simul lixas calonesque cum recentissimis equitum Bedriacum mittit, copias ceteraque usui adlaturos.* Cetera usui i. e. cetera,

quæ usui essent. H. IV 17, 1 *Clara ea victoria in præsens, in posterum usui.* H. IV 22, 4 *subversa longæ pacis opera, ne hostibus usui forent.* An. III 54, 33 *quas (offensiones) cum graves et plerumque iniquas pro re publica suscipiam, inanes et inritas neque mihi aut vobis usui futuras iure deprecor.* An. XI 14, 15 *Quo exemplo Claudius tres literas adiecit, quæ usui¹⁾ imperitante eo, post oblitteratæ, aspiciuntur etiam nunc eqs.* An. XII 11 10 *ac tamen ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes.* An. XV 15, 3 *namque iis usui fuit.* An. XVI 19, 15 *Fregitque anulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.*

Præsidio alicui esse est apud Varronem Ciceronem Cæsarem Livium alios. Unum est exemplum Taciteum: Agr. 22, 10 *Ita intrepida ibi hiems, crebræ eruptiones et sibi quisque præsidio.*

Obtentui alicui esse a Sallustio et Valerio Maximo dicitur. Apud Tacitum est H. I 49, 15 *Sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur.* De loco H. II 14, 24 infra dicemus.

Impedimento alicui esse inde a Plauto usitatum est. Unus est locus Taciteus: An. XIV 15, 4 *Non nobilitas cuiquam, non ætas aut acti honores impedimento, quo minus Græci Latinive histrionis artem exercerent eqs.*

Oneri alicui esse habent Cæsar Livius alii. Apud Tacitum legimus H. V 24, 9 *Exulem eum et extorrem recipientibus oneri.* An. II 37, 15 *si tenues res meæ nec mihi pudori nec cuiquam oneri forent.*

¹⁾ Nipperdey hic coniecit *in usu*, quum illud *usui* non eam, quam hic locus requirat, habeat significationem, quæ est 'erant in usu, usurpabantur'. Fortasse tamen, id quod animadvertit Draeger, Tacitus hic dicto illo novam vim imposuit. Atque forsitan solitum illud *usu venire*, in quo utrum figura *usu* pro dativo an pro ablativo accipienda sit ambigi potest, novæ istius significationis imponendæ causam quandam præbuerit.

Noxæ alicui esse. Habet hoc dictum ante Tacitum Sallustius. Apud illum duobus est locis: An. III 13. 4 *quod neque convictum noxæ reo eqs.*, cf. s. v. absolute. An. IV 36, 12 *Neque tamen id Sereno noxæ fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat.*

Exitio alicui esse inde a Plauti temporibus usitatum. Tacitus præbet: H. II 1, 3 *quod varia sorte lætum reipublicæ aut atroæ, ipsis principibus prosperum vel exitio fuit.* An. III 28, 6 *deterrima quæque impune ac multa honesta exitio fuere.* An. III 55, 10 *Postquam cædibus sævitum erat et magnitudo famæ exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere.* An. XI 24, 17 *Quid aliud exitio Lacedæmoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant?* An. XVI 14, 12 *Neque nescium habebat.... eamque causam multis exitio esse.*

Ante Tacitum non invenimus hoc dictum,

Excidio alicui esse, quod est H. I 80, 2 *Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit.*

Tum annotamus a Tacito non usurpari verba haud pauca consimilium significationum, quæ apud alios scriptores inveniuntur, ut 'esse alicui auxilio, adiumento, subsidio, salutis, fructui, utilitati, malo, damno, calamitati, fraudi, labori, detrimento', sim.

D. Esse alicui miraculo, ludibrio, derisui, irrisui, despectui, deridiculo, fastidio, tædio, invidiæ, odio.

Omnia hæc verba, excepto vocabulo *despectui*, sunt Tacito cum prioribus scriptoribus communia.

Miraculo alicui esse est apud Livium aliosque. Duo sunt loci Tacitei: An. IV 66, 8 *P. Dolabellam socium delationis extitisse miraculo erat, quia eqs.* An. XV 42, 2 *Ceterum Nero.... extruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ et aurum miraculo essent, eqs.*

Ludibrio alicui esse dicunt Cicero Sallustius Livius alii. Est Agr. 31, 10 *Ac sicut in familia recen-*

tissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic eqs. H. II 49, 15 *ambitiosius id precibus petierat, ne amputaretur caput ludibrio futurum,* H. III 81, 4 *Id plerisque ludibrio, pluribus tædio.*

Derisui alicui esse habent Phædrus et quidem Tacitus Agr. 39, 4 *Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum,* esq.

Irrisui alicui esse est apud Cæsarem Plinium Tacitum. H. I 7, 17 *Ipsa ætas Galbæ inrisui ac fastidio erat adsuetis inventæ Neronis et . . . comparantibus.* An. XIV 39, 8 *Sed hostibus inrisui fuit, apud quos, eqs.*

Deridiculo alicui esse est apud Plautum, Mil. 92 ed. Ritschl. Tacitus dicit An. III 57, 9 *At Q. Haterius cum . . . censuisset, deridiculo fuit senex* eqs.

Fastidio alicui esse. Hoc dicto usi sunt Valerius Max. Seneca Rhet. alii. Apud Tacitum est una cum inrisui connexum H. I 7, 17 *Ipsa ætas Galbæ inrisui ac fastidio erat adsuetis* eqs.

Tædio alicui esse. Est apud Senecam Rhet. A Tacito voci ludibrio subiungitur H. III 81, 5 *Id plerisque ludibrio, pluribus tædio.*

Invidiæ alicui esse habent Cicero Livius alii. Est H. II 95, 4 *Lætum foedissimo cuique apud bonos invidiæ fuit, quod* eqs.

Odio alicui esse a Plauto et Cicerone haud raro, ab aliis scriptoribus nonnumquam usurpatur. Legimus An. XV 21, 10 *Quædam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus.*

Tacitus primus videtur dixisse

Despectui alicui esse, quod est H. IV 57, 7 *obtestante Vocula non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit.*

Quæ apud alios scriptores invenimus verba his, quæ supra attuli, significationum habita ratione consimilia, quum alia sunt tum hæc: 'esse alicui contemptui, risui, ridiculo'.

E. Esse alicui spectaculo, ostentui, documento.

Etiam hæc verba Tacito cum prioribus scriptoribus communia sunt.

Spectaculo alicui esse apud Ciceronem Livium alios legitur. Tacitus dicit An. XIII 9, 11 *Hinc ortum inter præfectum et centurionem iurgium ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatisque, qui eos ducebant, permissum.*

Ostentui alicui esse. Hoc dicto usus est Sallustius. An. XV 64 10 *membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum.*

Documento alicui esse. Habent Cæsar Livius alii. H. II 76, 24 *Et posse ab exercitu principem fieri sibi ipse Vitellius documento eqs.* De loco An. XV, 27, 6 infra.

F. Esse victui, potui, vestitui.

Est quidem. ut hæ locutiones apud superiores scriptores omnino non videantur inveniri, sed conferre licet 'esse alicui alimento (Sen.), cibatus (Varr.), cibo (Lucr.), amictui (Varr. Cic.), circumiectui' (Varr.).

Victui esse. G. 46, 12 *victui herba, vestitui pelles, cubile humus.*

Potui esse. G. 23, 1 *Potui humor ex hordeo aut frumento eqs.*

Vestitui esse est in loco supra allato G. 46, 12 *vestitui pelles.*

Iam annotatiunculas nonnullas subiungamus.

Primum observandum est ad hos dativos effectus nusquam a Tacito apponi adiectivum, ut *magnus maximus tantus* sim., quæ quidem adiectiva apud alios scriptores cum hoc dativo sæpissime connectuntur.

Haud raro deest dativus personæ. Sed satis apparet illum e sententiæ nexu facillime simul audiri, sive certi hominis fit mentio, ut An. IV 57, 10 *pudori fuisse* sc. ei (Tiberio), An. XI 17, 5 *rubori* sc. ei (filio), H. I

79, 14 *usui* sc. iis, sive de quolibet est dictum, ut *miraculo* An. IV 66, 8, XV 42, 2 *exitio* An. III 28, 6.

Cognitum est perraro cum hoc dativo coniungi genitivum ex dativo illo pendentem vel præpositionem cum nomine insequente: in istis locis Taciteis neque genitivum usquam dativo subiunctum neque præpositionem additam invenimus.

Iam pridem alii animadverterunt eas voces, quæ in hoc dativi usu reperiuntur, omnes vel omnes fere esse nomina abstracta, quæ vocantur. Namque, ut verbum afferam, vox *cordi* propriam vim in hoc usu repudiavit. De vocibus *vestitui victui potui*, quæ quidem ab hac lege recedere videntur, pauca infra dicemus.

Tum constat omnes has voces esse singularis numeri, qua in re Tacitus veterem usum servavit. Sunt quidem in fine mutilato, ut vulgo putatur, libri undecimi Annalium voces *honesta quidem, sed ex quis deterrima orerentur [tristitiis multis]* An. XI 38, 13, sed ex his valde obscuris verbis aliquid contra usum omnium scriptorum latinorum ipsiusque Taciti dicendi genus statuere audacius sane esset.

Minoris momenti est neque tamen silentio prætereundum, quod nonnullis locis pro subiecto, quod dicitur, tum est accusativus cum infinitivo coniunctus, An. IV 66, 8 *miraculo erat*, tum enuntiatio secundaria, quæ inducitur coniunctione illa *quod*, An. XIV 55, 16 *mihi rubori est, quod*.

Postremo nobis dicendum est de vocibus *vestitui victui potui*. Hos dativos cum iis, qui manifeste effectum quendam demonstrant, eam ob causam coniungere non dubitavimus, quod eodem modo atque illi cum verbo substantivo connectuntur. Contra ea non dicitur 'dono esse', 'muneri esse', nedum 'domicilio esse' — *doti esse* posterioris videtur esse ætatis. Ea autem ratione ceteris vocibus sunt dissimiles, quod hæ voces non abstracta nomina videntur esse, sed concreta. At fortasse in hoc usu quodam modo medium inter utrumque tenent.

Roby¹⁾ affert verba Varronis L.L. § 132 *amictui dictum, quod ambiectum est, id est circumiectum*, et confert dicta anglica 'a wrap', 'a throw-around', 'a put on', quibus dictis anglicis hæc suetica optime videntur respondere 'något att kasta omkring sig', 'något att sätta på sig'. Quod si ita est, verba illa latina fortasse ita accipienda sunt, ut putemus *esse amictui, vestitui* idem esse quod 'esse pro amictu, vestitu', 'esse quo quis se amiciat'. Neque tamen ita dativi usus in his locutionibus intellegitur. Atqui voces *amictus circumiectus cibatus* proprie sine dubio abstracta nomina sunt et actionem significant, quam ob causam putandum est illa *amictui, circumiectui, cibatus esse a* principio idem esse quod 'amictum, circumiectum, cibatum afferre, efficere, præbere'. De ceteris huius classis vocibus, quæ sunt *vestitui indutui (gerere Tac.) victui potui cibo alimento*, aut aliqua ex parte idem iudicandum est aut ad priorum dictorum similitudinem hæc dicta orta esse censeamus oportet. Qua in interpretandi ratione si quid veri inest, apparet has locutiones ad alias, de quibus hic diximus, quam proxime accedere ob eamque causam cum iis artissimo vinculo esse coniungendas.

2. De dativo effectus, qui vel cum intransitivis verbis coniunctus est vel in appositionis loco positus.

Venimus ad eos locos enarrandos, ubi hic, de quo agimus, dativus cum verbis quibusdam intransitivis coniunctus est vel in appositionis loco videtur esse positus. Hos locos annotavimus.

G. 33, 7 *Super sexaginta milia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt*. Satis apparet verba illa *oblectationi oculisque* per figuram *ἐν δὲ ἀδούρῳ* accipienda esse, cf. Kritz ad G. 12, 2 et Andresen, Jahresber. des philol. Vereins zu Berlin, III Jahrg. 1877, p. 77. Tum verba

¹⁾ Latin Grammar, II, Preface p. xxxiii.

ceciderunt oblectationi (oculorum) idem videtur esse quod 'cadentes oblectationi fuerunt'. Dativus *oblectationi* in hoc usu alias inveniri non videtur.

An. IV 1, 14 *cuius* (rei Romanæ) *pari exitio viguit ceciditque*, quæ verba fortasse idem sunt atque 'et vogens (vivus) et cadens (mortuus) exitio erat'. Sed de hoc loco dubitandum est. Minus tamen genitivus *cuius* offendit quam adiectivum *pari*. Otto ad h. l. dicit Tacitum poetarum more hic dativum *exitio* pro eo, quod est *in exitium* vel *ad exitium*, scripsisse. Nonne pro ablativo modi accipienda sunt verba *pari exitio*? Conferatur Liv. XXI 35 *saltus haud sine clade, maiore tamen iumentorum quam hominum pernicie, superatus*.

An. XII 14, 18 *Atque ille non propinquum . . . increpans auribus decisus vivere iubet, ostentui clementiæ suæ et in nos dehonestamento*, quod ita intellegimus 'vivum esse ostentui' eqs. Animadvertendum est hic accedere et genitivum et præpositionem. *Dehonestamento* est Taciteum.

An. XV 29, 16 *At nunc versos casus: iturum Tiri-daten ostentui gentibus, quanto minus quam captivum?* Verba *iturum ostentui gentibus* idem videntur esse quod 'euntem fore ostentui gentibus'.

H. II 14, 2 *ni victorem exercitum attinisset obscurum noctis, obtentui fugientibus*. Heræus ita explicat 'quod obtentui fugientibus erat'. Roby dicit dativos hic esse in loco appositionis. Quorum utrumque quodam modo accipi potest, sed illud sententiam tantum reddit, hoc rationem interpretandi non affert. Haud scio an intellegendum sit participium, quod est *ὄν*.

An. XV 27, 6 *multa Romanis secunda, quædam Parthis evenisse, documento adversus superbiam*. Roby hunc locum eodem modo atque proximum explicat. Fortasse putandum est in verbo *evenisse* inesse verbum substantivum vel potius simul audiendum est participium verbi substantivi.

Mitto variam lectionem H. I 78, 5 *nova iura Cap-padociæ (dedit), nova Africae, ostentui magis quam man-*

surā. Habet codex M. *ostenta*, quod in *ostentata* correxit Ernesti; cf. Wölfflin Philol. XXVI, 114.

Quinque igitur vel fortasse sex locos, qui hunc usum præbent, apud Tacitum invenimus. Atque apud alios scriptores latinos universos paucissimos huius generis locos allatos vidimus. Sunt illi loci hi. Lucr. V 875 *hæc aliis prædæ lucroque iacebant*. Pseudo-Cic. or. antequam iret in exsil. 4, 10 *Itaque quod putavi fore gaudium, id existit exitio*, in quo loco scribendo fluctuant editores. Klotz habet *id existit eritium*. Plin. Hist. Nat. XXVIII § 106 *omnibus odio venire* et ib. XIV § 37 *evenit hoc et quibusdam aliis pessimi generis argumento*, in quo proximo loco fortasse pro dativo ablativum esse putandum est. Duos locos, in quibus sunt voces *auxilio præsidio*, infra afferemus.

3. De dativo effectus coniuncto cum transitivis verbis dare habere sumere sim.

In his locutionibus usurpandis nihil fere ab usu priorum scriptorum recedere videtur Tacitus. Primum locos afferimus ad significationum diversitatem distributos.

B. Honori, ignominia, laudi, crimini alicui dare, habere.

Honori habere (Sall.). An. III 32, 9 *adverso senatu, qui . . . paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominia habendam ducebat*.

Ignominia habere (esse Liv.). Est in loco iam nuper allato, ubi voci, quæ est honori, subiungitur: An. III 32, 9 *ignominia habendam*.

Laudi dare (Cic.). Est varia lectio D. 19, 10 *laudi dabatur pro eo, quod habent Halm Peter alii, laudabat*.

Crimini dare (Cic. Liv. alii). An. I 73, 9 *Rubrio crimini dabatur violatum periurio numen Augusti*. An. VI 18, 12 *Datum erat crimini, quod eqs*. An. XIII 10, 9 *cui favor in Britannicum crimini dabatur*. An. XVI 23, 6 *Sed crimini dabatur amicitia Plauti eqs*.

C. Usui, obtentui, oneri, exitio habere, sumere; prædæ dare(?).

Usui habere. An. III 31, 32 *quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis eqs.*

(?) *Prædæ dare* (esse Varr. Cic. Sall. Liv. al., *dare* Liv.). An. I 57, 18 *Ferebantur et spolia Variance cladis, plerisque eorum qui tum in deditionem veniebant prædæ data.*

Obtentui sumere (Sall.). An. I 10, 2 *pietatem erga parentem et tempora rei publicæ obtentui sumpta.*

Oneri habere. H. IV 3, 8 *quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur.*

Exitio habere. An. VI 30, 15 *neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum.*

E. Exemplo assumere, visui præberi alicui, obsidio dare(?), pignori accipi(?).

Exemplo assumere (esse Cic. Liv. al.). An. VI 8, 12 *Nec quemquam exemplo assumo.*

Visui præberi alicui inter hos locos referendum videtur. An. XII 21, 7 *Vultu quoque interrito permansit, cum rostra iuxta custodibus circumdatus visui populo præberetur.*

(?) *Obsidio dare* videtur esse Tacito proprium. An. XI 10, 19 *Multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Metherdaten prolem Phraatis, obsidio nobis datum.*

(?) *Pignori accipi* (esse Plaut. Cic. Curt. al.). H. III 65, 7 *et credebatur adfectam eius fidem parce iuisse domo agrisque pignori acceptis.*

F. Indutui gerere.

Indutui gerere. An. XVI 4, 10 *cunctis citharæ legibus obtemperans, . . . ne sudorem nisi ea quam indutui gerebat veste detergeret, eqs. (indutui habere Apul.).*

Primum animadvertendum est verba illa, quæ in omnibus fere his locutionibus insunt, dico *dare habere sumere assumere*, eam habere vim, ut significant idem quod 'putare vel dicere esse' (honori, crimini cet.), cui rationi in hac re explicanda maximum momentum tribuendum est. Hoc enim necessitudinis vinculo cum iis, de quibus iam diximus, locutionibus hæc continentur. Sunt vero duo dicta, de quibus pauca verba facienda sunt. Illud *visui populo præberi* dubitantes ascripsimus. Videntur tamen verba 'præbere aliquem populo visui' idem esse quod 'efficere ut quis sit p. v'. Alterum dictum est illud *indutui gerebat*, quod fortasse hoc modo explicandum est: 'quam (vestem) indutui οὔσαν gerebat'. Atque omnes hos locos respicientes annotamus nusquam dativo adiungi adiectivum, nusquam nomen genitivi casus vel præpositionem, omnia nomina, quæ in hoc dativi usu sint, abstracta, quæ vocantur, esse, omnia singularis numeri. Tacitus primus videtur in his locutionibus adhibuisse verba *sumere, assumere*.

Sequitur, ut de iis locutionibus disseramus, ad quas signum interrogandi apposuimus. Illud *dono dare* huc non retuli tres ob causas, quod non dicitur 'dono esse', quod verbum *dare* hic non eam habet vim, de qua supra diximus, quod nomen *donum* non pro abstracto haberi potest. Contra ea, si verba *plerisque prædæ data, obsidio nobis datum, pignori acceptis* respicimus, observandum est et dici *prædæ esse, pigneri esse* et hæc nomina, dico *prædam* (i. q. lucrum, quæstum) *obsidium pignus*, pro abstractis accipienda esse vel posse accipi et fortasse verbum *dare* in his dictis idem esse quod 'concedere ut aliquid sit prædæ, obsidio', verbum *accipi* autem summa significantiis affinitate cum verbo dandi cohærere.

In verbis *foenori dare* (An. VI 13, 6) potius ablativus (locativus?) inesse putandus est quam dativus, collatis locutionibus *dare foenore* (Plaut.), *accipere pecuniam foenore* (Cic. Liv.), sim. Apparet in dicto An. VI 19, 3 *ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo vertisse*,

eqs. verbum *vertisse* habere significationem mutandi et figuram vocis *malo* esse idem quod 'in malum'. Tum manifestum est huc non referendas esse locutiones, quales sunt *honori alicuius dare* H. I 77, 9, An. II 58, 3, III 72, 15, alibi, vel *honori alicuius tribuere* An. VI 50, 13.

4. De dativis auxilio præsidio subsidio.

Seiunximus eos locos, in quibus sunt verba auxilio præsidio subsidio, quum ambigi possit, quonam modo hi dativi accipiendi sint. Nieländer¹⁾ discrimen facit inter «dativum factitivum» (*dare laudi, crimini*, sim.) et «dativum prædicativum» (*receptui canere, mittere præsidio, venire, proficisci subsidio, habere quæstui* al.). Nomen prædicativi igitur ei dativi generi videtur imposuisse, quo vulgo putant significari consilium finis propositi assequendi, quod quidem nomen certe istis dativis minus aptum videtur, si quidem significatio consilii in iis inest. De aliis locutionibus hic non disseremus. Dicemus autem de vocibus *auxilio, præsidio, subsidio venire, mittere*, sim. Dubitari sane potest, qua via ac ratione intellegenda sint verba illa *auxilio mittere*, utrum putanda sint idem esse quod 'mittere (copias) ad auxilium vel eo consilio ut auxilia sint, ut auxilientur' — tum *auxilio* est dativus finalis —, an copias *auxilio mitto* idem sit quod 'copias mittens volo (iubeo) eas auxilio esse' — si ita est, *auxilio* pro dativo effectus accipiendum est. Hoc præferendum credo, quod etiam in vetustiore latinitate dicitur *auxilio esse* (inde a Plauti temporibus persæpe), *præsidio esse* (Varr. R. R., Cic. al.) *subsidio esse* (Cic. Cæs.), unde illæ locutiones *venire, mittere auxilio* sim. videntur manavisse et in lingua militari inveterasse. *Auxilio esse* eiusdem est generis atque *usui, adiumento esse*. Inter verba *esse auxilio* et *mittere auxilio* eadem fere ratio intercedit atque inter *esse laudi* et *dare laudi*. Accedit, quod dativus finalis in vetustiore latina lingua omnino non inveniri videtur nisi

¹⁾ Der factitive Dativus in den Cicer. Schr. p. 6.

in dicendi formulis, quales sunt *colloquio diem deligere, castris locum capere, receptui signum vel receptui cænere* sim.

Iam ad locos Taciteos afferendos transeamus. In horum vocabulorum usu nihil fere a prioribus scriptoribus discrepat Tacitus.

Esse præsidio est Agr. 22, 10. *Auxilio, subsidio esse* non invenimus. Sed hic duo loci afferendi sunt. An. I 8, 24 *Die funeris milites velut præsidio stetere*, eqs. An. XII 29, 10 *scripsitque Palpellio Histro, qui Pannoniam præsidebat, legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componere, subsidio victis et terrorem adversus victores, ne eqs.* In illo loco putandum est in verbo *stetere* inesse verbum substantivum vel audiendum est participium, quod est ὄντες, in hoc autem dativos appositionis loco positos esse e vocabulo sequente *terrorem* manifestum est atque intellegendum est participium verbi substantivi, quod est ὄντα. Conferantur duo hi loci: Petron. 89, 45 *parvulas illi manus | ad ora referunt, neuter auxilio sibi, | uterque fratri* eqs. Liv. XXII 23, 10 *cum tertia (exercitus parte) ipse expedita in statione erat simul castris præsidio et circumspicere* eqs.

Cum verbo veniendi vox *subsidio* coniungitur uno loco An. IV 59, 9 *qui subsidio venerant*.

Verba mittendi ducendi cum his dativis apud optimos scriptores persæpe coniungi notissimum est; apud Tacitum hæc sunt exempla. H. IV 27, 3 *misitque subsidio cohortem*. An. IV 73, 10 *equitesque legionum subsidio misso*. An. XII 40, 18 *et missæ auxilio cohortes* eqs. An. III 9, 3 *quæ (legio) . . . dein præsidio Africæ ducebatur*.

Arcessere auxilio dicit Cæsar, B. G. III 11. Tacitus eodem modo connectit verba acciendi vocandi poscendi. *Accire auxilio* idem est quod 'iubere venire auxilio'. H. IV 73, 10 *et acciti auxilio Germani* eqs. An. IV 67, 24 *populumque ac senatum auxilio vocare*. An.

XII 45, 5 *proelianti sibi adversus regem Albanorum et Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum eqs.* An. VI 2, 11 *Crediderat nimirum epistulæ subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut eqs.*

II. De dativo finali nominum.

Sub hoc nomine eos dativos tractabimus, quibus res quædam agenda demonstratur vel consilium seu finis propositus indicetur. Angustissimis finibus huius dativi usus apud optimos scriptores circumscribitur, apud Tacitum vero omnino non prius tamen quam in Annalibus latissime patet.

1. De eo huius dativi usu, qui Tacito cum prioribus scriptoribus est communis.

Primum igitur pauca dicemus de eo usu, in quo Tacitus maxime priorum scriptorum vestigiis ingreditur.

a. Coniungitur hic dativus cum locutionibus, quales sunt *locum capere, deligere*. Paucos afferimus locos. H. II 5, 2 *locum castris capere*. An. XII 31, 12 *locum pugnae delegere*. An. XII 46, 18 *diem locumque foederi vcepit*. An. XV 28, 5 *locum diemque conloquio poscit*. In proximis his locis ad nomina *diem* et *locum* simul audienda videtur figura quædam verbi deligendi ut 'locum foederi delectum (vel datum) accepit', 'locum colloquio deligendum poscit'. Conferatur Liv. XXI 53, 11 *locum insidiis circumspectare Poenus coepit* (intell. deligendum vel t. q.). — Translata vi verbi dicitur An. XIV 57, 14 *dum temeritati locum reperiret*. — Tum his locis pro eo, quod est locus, habemus vocem, quæ est *sedes*. H. II 19, 8 *quod coloniam virium et opum validam robur ac*

sedem bello legisset. H. IV 69, 10 quam . . . sedem imperio legerent. An. XIV 33, 4 an illam sedem bello deligeret.

b. Cum locutionibus, quales sunt *diem, tempus deligere*, hic dativus connectitur. H. III 12, 6 *nox proditio electa. An. XVI 23, 8 tempus damnationi delectum. Locos An. XII 46, 18 et An. XV 28, 5 iam supra exscripsi.*

c. Ex verbis *signum dare* pendet hic dativus An. XV 36, 14 *daret pugnae signum* i. e. *daret signum*, ut pugnam consererent; cf. H. III 16, 11. Tum huc referendum videtur vulgatum illud *receptui canere*, quod est H. II 26, 12 *receptui cecinisset*, quum hoc idem sit quod *'receptui signum dare'*.

Diximus his dativis rem agendam significari. Ita enim videntur hæc dicta accipienda esse, ut putemus *locum castris capere* idem esse quod *'locum capere, in quo castra fiant vel consilio faciendi castra'*, *tempus colloquio deligere* idem atque *'t. d., quo colloquium habeatur'*, *signum receptui dare* idem quod *'s. d., ut receptus fiat, ut se recipiant'*.

d. Restat, ut dicamus de locutionibus *doneo dare*, *veno dare* sim. Primum locos annotamus H. I 24, 10 *agrum sua pecunia emptum dono dederit. H. I 78, 4 provinciae Bæticæ Maurorum civitates dono dedit. An. XV 55, 11 pecunias et libertates servis et ante dono datas. An. XV 27, 8 regnum dono accipere. G. 5. 12 argentea vasa legatis et principibus eorum muneri data. An. XIV 31, 7 quasi cunctam regionem muneri accepissent. An. IV 1, 11 Apicio . . . stuprum veno dedisse. An. XIII 51, 6 militibus immunitas servaretur, nisi in iis, quæ veno exercerent. An. XIV 15, 8 posita veno irritamenta luxui.*

Quo modo hæc locutiones *doneo, muneri dare, accipere* interpretandæ sint, dubitari potest. Diximus, quibus ex causis cum dativis effectus non connectendæ esse videau-

tur. Si ei, de quo hic agimus, dativi generi eas subiungimus, putandum est *dono dare aliquid* proprie idem esse quod 'dare aliquid, ut donum sit.' Verbum *accipere* in his dictis, patiendi vim quodam modo præbet, cui agendi significatio, quæ in verbo dandi inest, respondet. *Veno dare*, quo dicendi genere Tacitus primus usus est pro eo, quod est venum dare vel venundare, huc attuli, quum sine dubio ad similitudinem locutionis *dono dare* dictum sit.

2. De usu huius dativi apud Tacitum latiore.

Venimus ad eos locos, in quibus Tacitus dativo casui ad finalem vim significandam latiore usum vindicavit. Secundum ætatem librorum hos locos afferimus pauca verba subiungentes.

Agr. 31, 7 *nata servituti mancipia semel veneunt* eqs. i. e. nata ad servitutem¹⁾, ut servi sint. — H. III 35, 9 *in Germaniam Alpinium Montanum præfectum cohortis . . . ostentui misere*. Minus veri simile videtur *ostentui* hic pro dativo effectus esse accipiendum, quum insequatur verbum *misere*. Consilium significatur, et est idem quod 'ad ostentationem'. — H. III 84, 4 *cuncta validissimarum urbium excidiis reperta*. — H. IV 81, 18 *Id fortasse cordi deis, et divino ministerio principem electum*, i. e. ut divinum ministerium (minister deorum) esset. — An. I 23, 18 *centurionem morti deposcit* i. e. ad mortem²⁾, ut morte afficeretur. — An. I 29, 16 *Tradunt . . . alii corpora extra vallum abiecta ostentui*. quod sine dubio non ita accipiendum est, ut putemus idem esse quod 'corpora, quæ extra vallum abiecta essent, fuisse ostentui' (cf. p. 20), sed hoc modo 'corpora e. v. abiecta esse ad ostentationem, ad spectaculum, ut osten-

¹⁾ Cf. H. IV 64, 9 *viris ad arma natis*. Tres locos, ubi est *natus ad*, ex Dialogo affert Maué, De præpos. 'ad' p. 51.

²⁾ Cf. H. III 10, 8 *ad exitium poscebatur*, H. III 11, 7 *ad supplicium deposcerent*, cf. Maué, l. c. p. 46. Contra ea *expetere aliquem poenæ* (Seneca), cf. Draeger, Histor. Synt. I p. 407.

tui essent'. — An. I 51, 9 *incessitque itineri et proelio* i. e. 'ad iter perficiendum et ut proelium committeret' (Boetticher). Otto ad h. l. suspicatur vocem, quæ est *paratus*, excidisse ante vocabulum insequens *Pars* et legendum esse *itineri et proelio paratus* collato simillimo loco Curtiano III 8, sed conferantur Tacitei loci An. XIII 40, 6 et XIV 3, 11, quos infra exscribemus. — An. II 7, 9 *Restituit aram honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit* i. e. 'ut honor patri tribueretur, ut honoraret patrem'. — An. II 58, 10 *Datum id non modo precibus Artabani, sed contumeliæ Pisonis*. Hic zeugma inesse censet Otto. Certe intellegi hic locus non potest, nisi putamus *contumeliæ Pisonis* idem esse quod 'in contumeliam Pisonis, ut contumelia Pisoni inferretur'. Aliam vim habet 'honor alicuius dare', quod est in eodem capite. — An. IV 72, 13 *rapti, qui tributo aderant, milites* i. e. 'ad tributum exigendum, ut tributum exigeretur'. Conferamus illud *scribendo adesse*. — An. VI 17, 8 *eaque, quæ remedio quæsitæ, venditio et emptio, in contrarium mutari*, eqs. i. e. 'ut remedium in iis rebus esset'. — An. XII 13, 11 *monet sacerdotes, ut templum iuxta equos venatui adornatos sistant* i. e. 'ad venatum, ut venatus ii adhibitis fiat'. — An. XII 69, 3 *Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adest*, i. e. 'ad excubias habendas'; cf. An. IV 72, 13. — An. XIII 25, 4 *comitantibus qui raperent venditioni exposita* eqs. i. e. 'ut venditio fieret, ut venderentur'. — An. XIII 26, 9 *ac verberibus manus ultro intenderent*, i. e. 'ut verberarent, ut verberibus castigarent'. Cf. *in verbera*. Verg. — An. XIII 32, 1 *Factum et senatus consultum ultioni iuxta et securitati*, ut eqs. i. e. 'ad ultionem et securitatem servandas, ut ultio et securitas servarentur'. — An. XIII 40, 6 *non ignoro duce nostro, qui viæ pariter et pugnae composuerat exercitum*. Cf. *itineri et proelio* An. I 51, 9. — An. XIV 3, 11 *et ne quis illi tanto facinori delectus iussa sperneret metuebant* i. e. 'ad illud tantum facinus efficiendum, ut i. t. facinus efficeretur'. Cf. H. IV 81, 8.

— An. XV 10, 20 *expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus . . . iussit i. e. 'ad iter faciendum'*¹⁾, ut proficisci possent'. — An. XV 28, 14 *in castra Tiri-datis venire, honori eius ac ne metueret insidias tali pignore, quocum conferatur* An. II 7, 9.

Addo dubios hos locos. H. I 44, 13 *omnesque conquiri et interfici iussit, non honori Galbæ, sed tradito principibus more. Ita Nipperdey, Halm habet honore. Si illud præferimus, cf. An. II 7, 9, XV 28, 14. — H. II 10, 10 Id senatus consultum varie iactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum, retinebatur adhuc terrori i. e. 'ad terrorem iniiciendum'. Ita Halm. Heræus coniecit ad vana terroris, Madvig retinebat a. terrores.*

Fortasse etiam afferendus est locus An. VI 20, 2 *Gaius Cæsar Claudium . . . coniugio accepit collato dicto in matrimonium accipere; ita coniugio idem est quod 'ut coniugium fiat'*. Sed illud *coniugio* etiam ablativi casus esse possumus existimare. — Contra ea potius amovendi videntur loci, qualis est An. IV 9, 6 *Memoriæ Drusi eadem, quæ in Germanicum, decernuntur eqs.* Conferimus An. IV 15, 14 *decrevere Asiæ urbes templum Tiberio.* — Postremo pauca de loco G. 28, 20 *Ne Ubii quidem . . . origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.* Roby, Latin Grammar, II, Preface p. XLIII, inder dativum et ablativum dubitat. Ex ultimis sententiæ virbis *ut arcerent eqs.* manifestum fit vocem *experimento* pro ablativo causæ esse interpretandam, ut putemus idem esse quod 'propter expertam probatamque fidem'.

Videmus igitur hunc dativi usum in minoribus scriptis et in Historiis rarissime inveniri et dativos proximis verbis, quibuscum connectendi sint, quasi sustentari, certe artissime cum iis coniugendos esse, in Annalibus vero et multo frequentiore hunc usum esse et latius patere at-

¹⁾ Cf. H. II 99, 2 *Cæcinam ac Valentem expediri ad bellum iubet.*

que in postremo loco, qui ex quinto decimo libro petitus est, ita dativum esse positum, ut per coniunctionem *ac* cum enuntiatione finali coniungatur.

III. De dativo finali gerundii gerundivique.

Venimus ad eam huius disputationis partem, ubi nobis disserendum est de dativo gerundii et de dativo nominis cum gerundivo connexi. Constat hunc dativum apud optimos scriptores tum ex adiectivis quibusdam tum ex certis verbis locutionibusque pendere tum cum nominibus quibusdam proxime coniungendum esse, apud Tacitum vero hic usus multo latius patet.

1. De hoc dativo ex verbis pendente vel cum tota enuntiatione coniungendo.

Cum superioribus scriptoribus Tacitus hæc fere habet communia. Nonnullarum locutionum, quæ etiam apud illos scriptores sunt frequentes, pauca exempla satis erit attulisse.

Esse. Notissima sunt verba *solvendo non esse* (Cic.), *oneri ferendo esse* (Liv.). Apud Tacitum unum huius usus exemplum invenimus An. XII 68, 4 *dum quæ forent firmando Neronis imperio componuntur.*

Sufficere (Liv.). An. IV 23, 3 *nam priores duces ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem mittebant.* An. VI 4, 13 *sufficere ipsum statuendis remediis.*

Deesse (Liv.). H. III 54, 8 *nec duces hostium augendæ famæ deerant.* An. I 1, 9 *temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia.*

Præsidere, præponere, imponere. Hæc verba consimilia sunt iis, quæ sunt *præesse, præficere* (Cic. Liv.).

— An. XV 10, 20 *expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus . . . iussit i. e. 'ad iter faciendum'*¹⁾, ut proficisci possent'. — An. XV 28, 14 *in castra Tirdatis venire, honori eius ac ne metueret insidias tali pignore, quocum conferatur* An. II 7, 9.

Addo dubios hos locos. H. I 44, 13 *omnesque conquiri et interfici iussit, non honori Galbæ, sed tradito principibus more*. Ita Nipperdey, Halm habet *honore*. Si illud præferimus, cf. An. II 7, 9, XV 28, 14. — H. II 10, 10 *Id senatus consultum varie iactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum, retinebatur adhuc terrori i. e. 'ad terrorem iniiciendum'*. Ita Halm. Heræus coniicit *ad vana terroris*, Madvig *retinebat a terrores*.

Fortasse etiam afferendus est locus An. VI 20, 2 *Gaius Cæsar Claudium . . . coniugio accepit collato dicto in matrimonium accipere; ita coniugio idem est quod 'ut coniugium fiat'*. Sed illud *coniugio* etiam ablativi casus esse possumus existimare. — Contra ea potius amovendi videntur loci, qualis est An. IV 9, 6 *Memoriæ Drusi eadem, quæ in Germanicum, decernuntur* eqs. Conferimus An. IV 15, 14 *decrevere Asiæ urbes templum Tiberio*. — Postremo pauca de loco G. 28, 20 *Ne Ubii quidem . . . origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur*. Roby, Latin Grammar, II, Preface p. XLIII, inder dativum et ablativum dubitat. Ex ultimis sententiæ virbis *ut arcerent* eqs. manifestum fit vocem *experimento* pro ablativo causæ esse interpretandam, ut putemus idem esse quod 'propter expertam probatamque fidem'.

Videmus igitur hunc dativi usum in minoribus scriptis et in Historiis rarissime inveniri et dativos proximis verbis, quibuscum connectendi sint, quasi sustentari, certe artissime cum iis coniugendos esse, in Annalibus vero et multo frequentiore hunc usum esse et latius patere at-

¹⁾ Cf. H. II 99, 2 *Cæcinam ac Valentem expediri ad bellum iubet*.

que in postremo loco, qui ex quinto decimo libro petitus est, ita dativum esse positum, ut per coniunctionem ac cum enuntiatione finali coniungatur.

III. De dativo finali gerundii gerundivique.

Venimus ad eam huius disputationis partem, ubi nobis disserendum est de dativo gerundii et de dativo nominis cum gerundivo connexi. Constat hunc dativum apud optimos scriptores tum ex adiectivis quibusdam tum ex certis verbis locutionibusque pendere tum cum nominibus quibusdam proxime coniungendum esse, apud Tacitum vero hic usus multo latius patet.

1. De hoc dativo ex verbis pendente vel cum tota enuntiatione coniungendo.

Cum superioribus scriptoribus Tacitus hæc fere habet communia. Nonnullarum locutionum, quæ etiam apud illos scriptores sunt frequentes, pauca exempla satis erit attulisse.

Esse. Notissima sunt verba *solvendo non esse* (Cic.), *oneri ferendo esse* (Liv.). Apud Tacitum unum huius usus exemplum invenimus An. XII 68, 4 *dum quæ forent firmando Neronis imperio componuntur.*

Sufficere (Liv.). An. IV 23, 3 *nam priores duces ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant.* An. VI 4, 13 *sufficere ipsum statuendis remediis.*

Deesse (Liv.). H. III 54, 8 *nec duces hostium augendæ famæ deerant.* An. I 1, 9 *temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia.*

Præsidere, præponere, imponere. Hæc verba consimilia sunt iis, quæ sunt *præesse, præficere* (Cic. Liv.).

An. I 76, 8 *Edendis gladiatoribus . . . Drusus præsedet.*
 An. II, 6, 2 *Silius et Anteijs et Cæcina fabricandæ classi præponuntur.* An. XIII 8, 6 *quod Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præposuerat.* An. IV. 72, 6 *regendis Frisijs impositus.*

Curam insumere. Hoc dictum simillimum est verbis illis *studere, operam addere* (Cic.), *operam dare* (Liv.). An. XVI 24, 4 *portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat.*

Tempus, diem insumere. Cum his locutionibus non dubitamus conferre *laborem impertire* (Cic.), *tempus impendere* (Quint.). Agr. 23, 1 *Quarta æstas obtinendis quæ percucurrerat insumta.* Au. II 53, 6 *Igitur paucos dies insumpsit reficiendæ classi.* An. III 1, 3 *Illic paucos dies componendo animo insumit.* Huc referendum videtur An. XIV 4, 12 *ut occultando facinori nox adhiberetur*¹⁾.

Destinare (Liv.). H. II 82, 2 *destinantur validæ civitates exercendis armorum officinis.* An. XIV 40, 5 *capessentis honoribus destinatus.* An. XV 43, 9 *ruveri accipiendo Ostienses paludes destinabat.*

Iam ad eas locutiones venimus, in quibus a superiorum scriptorum usu Tacitus recedere videtur. In his disponendis eum ordinem sequemur, ut primum afferamus eos locos, in quibus sunt verba deligendi eundi mittendi sim., quæ paulo frequentiores habent usus, tum eos, qui restant, locos ad ætatem librorum Taciteorum distributos enumeremus.

Verba, quæ vim deligendi habent²⁾: H. III 57, 12 *Vitellius Claudium Iulianum . . . permulcendis militum animis*

¹⁾ Ceterum conferantur locutiones, quales sunt et *adhibere ægro medicinam, vim alicui et adhibere et tempus et diligentiam ad considerandas res* (Cic.).

²⁾ In locis Livianis IV 4, 3 *Decemviros legibus scribendis creavimus*, IX 26, 14 *Dictator deligendus exercendis quæstionibus fuit dativi cum gerundivis coniuncti non ex verbis creare deligere pendere existimandi sunt, id quod putat Kühner, Ausf. Gram. d. lat. Spr. II 558 d)*, sed e nominibus magistratum *decemviri dictator*, quum hæc vo-

delegit. H. V. 1, 1 *Titus perdomandæ Iudææ delectus.*
 An. II 4, 2 *Tum Gaius Cæsar componendæ Armeniæ deligitur.* An. III 28, 1 *Tum Cn. Pompeius tertium consul corrigendis moribus delectus.* An. V 4, 1 *Fuit in senatu Iunius Rusticus, componendis patrum actis delectus a Cæsare.*
 An. VI 32, 13 *reciperandæque Armeniæ Hiberum Mithridaten deligit.* An. VI 43, 5 *delectum capiendo diademati diem haut concelebraverant.* An. VI 45, 8 *Sed æstimando cuiusque detrimento quattuor progeneri Cæsaris . . . delecti.* An. XII 19, 3 *laudatque quod gentem Aorsorum, quod suam dextram petendæ veniæ delegerit.* An. XIII 48, 5 *C. Cassius adhibendo remedio delectus.* An. XI 22, 20 *post lege Sullæ viginti creati supplendo senatui¹).*

Ex verbis, in quibus est significatio eundi veniendi, dativus gerundivi pendet his locis, qui omnes in Annalibus insunt: An. I 26, 6 *Cur venisset neque augendis militum stipendiis neque adlevandis laboribus, denique nulla bene faciendi licentia?* An. VI 43, 10 *ubi data fides reddendæ dominationi venisse, adlevatur animum eqs.* An. XV 24, 9 *nec recusaturum Tiridaten accipiendo diademati in urbem venire eqs.* An. XVI 23, 9 *tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo Armeniæ regno adventabat eqs.* An. III 19, 9 *At Drusus urbe egressus repetendis auspiciis eqs.* An. XI 2, 8 *Quibus (lacrimis) abluendis cubiculo egrediens monet Vitellium eqs.* An. XI 32, 3 *Igitur Messalina Lucullianos in hortos, Silius dissimulando metu ad munia fori digrediuntur.* An. III 31, 5 *Tiberius quasi firmandæ valetudini in Campaniam concessit.* An. III 39, 3 *mittit*

cabula iam ante Ciceronis tempora sæpissime cum dativis gerundivis coniungantur neque quicquam obstat, quo minus ex eadem ratione etiam illæ enuntiationes accipiantur.

¹) Seiungo locos An. XIII 38, 14 et XVI 2, 5, quum in iis locis dativi e verbo *deligendi* pendere non videantur. Annotandum est *eligere ad* cum gerundivo accusativi esse Agr. 6, 18, H. I 50, 6, *deligere ad* sequente gerundivo accusativi in Annalibus sex locis inveniri (Maué, De præp. 'ad' p. 55), *deligere* cum dativo gerundivi connexum, si recte iudicavimus, octo locis, unde apparet Tacitum utroque dicendi genere promiscue usum esse.

in eos, qui prædahundi aut adsumendis auxiliis vagabantur eqs. An. XII 66, 2 refovendisque viribus mollitia cæli et salubritate aquarum Sinuessam pergit¹).

Illis, de quibus diximus, verbis proxima sunt ea verba, in quibus est significatio mittendi ducendi relinquendi. Ad eam verborum classem hi loci referendi sunt: An. I 60, 5 Cæcinam . . . distrahendo hosti per Voructeros ad flumen Amisiam mittit eqs. An. II 1, 7 partemque prolis firmandæ amicitie miserat eqs. (nisi hic est genitivus). An. XI 1, 13 At Claudius . . . tanquam opprimendo bello Crispinum . . . misit eqs. An. XV 16, 6 adstantibus iis quos testificando rex misisset eqs. An. XI 1, 4 Suillium accusandis utrisque immittit. An. XV 10, 10 quos visendis hostium copiis præmiserat eqs. An. II 21, 14 subducit ex acie legionem faciendis castris. An. XIII 39, 15 hos . . . subruendo vallo inducit eqs. An. II 85, 14 factumque patrum consultum, ut quattuor milia . . . in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniiis eqs. An. XV 8, 3 rapit exercitum recipendis, ut ferebat, Tigranocertis vastandisque regionibus eqs. An. XIII 7, 2 Nero et iuventutem . . . splendidis orientis legionibus admoveere . . . iubet, eqs. An. XII 38, 9 cohortes exstruendis apud Siluras præsiidiis relictas circumfundunt. Huc referendum videtur H I 6, 13 quos idem Nero electos præmissosque ad claustra Caspiarum . . . opprimendis Vindicis coeptis revocaverat²).

¹) Contra decem hos Annalium locos alios decem locos, in quibus verba eundi cum præp. *ad* et gerundivo accusativi coniunguntur, ex Annalibus affert Maué, l. c. p. 54. In his locis, ubi est præp. *ad*, significatio quædam contendendi ad locum plerumque inesse nobis videtur (cf. *ad visendum Agrippam, ad excipiendum principem, ad dicendam causam*, ubi de loco iudicibusque facile quis cogitaverit), in illis autem, in quibus sequitur dativus casus, omnino est significatio rei propositæ assequendæ, ut *augendis stipendiis, firmandæ valetudini*. Ex Historiis quinque illius generis locos, ex minoribus scriptis unum affert Maué.

²) Duodecim igitur attuli locos ex Annalibus repetitos. Missum hic facio An. II 88, 3, ubi dat. ger. proxime cum voce *venenum con-*

Iam ceteros locos, in quibus dativus gerundivi ex singulis verbis vel e totis enuntiationibus pendere videtur, ad aetatem librorum Taciteorum afferamus.

Agr. 31, 13 *neque enim arva nobis aut metallum aut portus sunt, quibus exercendis reservemur.* H. I 18, 3 *Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam eqs.* H. III 55, 5 *Tot milia armatorum . . . inferendo quoque bello pollebant.* H. III 77, 19 *misit, percontatus statim regredi se an perdomandæ Campaniæ insistere iuberet.* H. V 13, 20 *donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis struerentur.* An. I 54, 3 *ut quondam Titus Tatinus retinendis Subinorum sacris sodales Titios instituerat.* An. II 36, 15 *subverti leges, quæ sua spatia exercendæ candidatorum industriæ quærendisque aut potiundis honoribus statuerint.* An. II 37, 18 *Nec ad invidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ refero.* An. II 46, 15 *cum a Cheruscis Langobardisque pro antiquo decore aut recenti libertate et contra augendæ dominationi certaretur.* An. II 65, 8 *Rhescuporis sanciendo, ut dicitabat, foederi convivium adicit, eqs.* An. III 13, 1. *Exim biduum criminibus obiciendis statuitur eqs.* An. III 22, 15 *Exemit etiam Drusum consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ.* An. III 25, 2 *Relatum dein de moderanda Papiæ Poppæ, quam senior Augustus . . . incitandis cælibum poenis et augendo ærario sanxerat.* An. III 30, 4 *ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus eqs.* An. IV 1, 19 *intus summa apiscendi libido, eiusque causa . . . sæpius industria ac vigilantia,*

nectendus videtur. Sex locos, in quibus verba mittendi sim. cum præp. ad et acc. gerund. coniunguntur, ex Annalibus affert Maué. Haud scio an inter ambo dicendi genera eandem intercedere discrepantiam atque eam, quam de verbis eundi exposuimus. Conferantur *mittere ad componendam Campaniam, ducere ad exsolvendum obsidium* al. Ex Historiis decem huius generis locos congerit Maué, ex minoribus scriptis unum. In loco H. I 6, 13 supra allato Tacitus videtur ad repetitionem præpositionis ad evitandam dativum induxisse.

haud minus noxiæ, quotiens parando regno finguntur. An. IV 73, 6 *Igitur proxima æstuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat.* An. VI 13, 7 *Ita castigandæ plebi compositum senatus consultum eqs.* An. VI 17, 9 *quia fœneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant.* An. VI 37, 5 *cum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset,* eqs. An. VI 50, 21 *cum repente adfertur . . . vocarique qui recreandæ defectioni cibum adferrent.* An. XI 14, 17 *quæ (tres literæ Claudianæ) . . . aspiciuntur etiam nunc in cere publicandis plebiis¹) per fora ac templa fixo.* An. XI 20, 11 *qui in agro Mattiaco recluserat specus quærendis venis argenti.* An. XII 32, 13 *colonia Camulodunum . . . deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles et inbuendis sociis ad officia legum.* An. XII 41, 8 *Et ludicro circensium, quod adquirendis vulgi studiis edebatur,* eqs. An. XII 48, 8 *semina etiam odiorum iacienda, ut sæpe principes Romani eandem Armeniam specie largitionis turbandis barbarorum animis præbuerint.* An. XII 57, 4 *et contrahendæ rursus multitudini gladiatorum spectaculum editur,* eqs. An. XIII 10, 6 *veterem religionem kalendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit.* An. XIII 11, 8 *quas (orationes) Seneca, testificando²) quam honesta præciperet vel iactandi ingenii, voce principis vulgabat.* An. XIII 13, 11 *Tum Agrippina . . . suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quæ prima ætas et summa fortuna expeterent.* An. XIII 41, 11 *nec id nobis virium erat, quod firmando præsidio et cæpessendo bello divideretur* eqs. An. XIII 42, 13 *qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent.* An. XIII 49, 2 *quo (senatus consulto) civitati*

¹) Hæc est coniectura Madvigii veri simillima pro eo, quod codex habet *publico. dis plebiscitis.*

²) Conferatur An. XV 16, 6 *quos testificando rex misisset.* Contra ea An. III 72, 9 *At Pompei theatrum igne fortuito haustum Casar extracturum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, audiendum est ei vel theatro Pompei.*

Syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum permittebatur eqs. An. XV 4, 1 *Ea dum a Corbulone tuendæ Suricæ*¹⁾ *parantur*, eqs. An. XV 9, 2 *et ne ponti iniciendo impedimentum hostiles turmæ adferrent* eqs. An. XV 16, 8 *quæ ut augendæ infamiæ*¹⁾ *composita, sic reliqua* eqs. An. XV 18, 4 *quin et dissimulandis rerum exterarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit* eqs. An. XV 44, 9 *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quæsitissimis poenis adfecit, quos* eqs. An. XV 48, 7 *Namque facundiam tuendis civibus exercebat*, eqs. An. XV 69, 8 *Cuncta eo die munia consulis impleverat conviviumque celebrabat, nihil metuens an dissimulando metu, cum* eqs. An. XVI 1, 9 *quæ per tantum ævi occulta augendis præsentibus bonis.* An. XVI 2, 5 *dantur triremes et delectum remigium iuvandæ festinationi*²⁾. An. XVI 3, 7 *sequunturque non modo milites sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus* eqs. An. XVI 13, 14 *Eodem anno dilectus per Galliam . . . habiti sunt supplendis Illyricis legionibus* eqs.

Iam quum ad hos locos perlustrandos aggredimur, id primum annotandum est ex omnibus his locis, in quibus ab usu priorum scriptorum recedere videtur Tacitus, quorum numerus est septem et septuaginta, unum esse minorum scriptorum, septem Historiarum, triginta prioris Annalium partis, undequadraginta posterioris et, si eos locos, in quibus insunt verba deligendi eundi mittendi quæque iis sunt similia, omittimus, universos locos esse tres et quadraginta, e quibus unus est minorum scriptorum, quattuor Historiarum, quindecim prioris, tres et viginti posterioris partis Annalium. Apparet igitur Tacitum in hoc usu dilatando pedetemptim progressum esse, quod

¹⁾ Fortasse hæc verba in genitivo casu posita putanda sunt.

²⁾ Videntur quidem hæc voces *iuvandæ festinationi* ad posterius enuntiationis membrum referendæ esse, tamen non cum participio *delectum* propius connectendæ, sed cum tota enuntiatione artissime coniungendæ: dantur delecti remiges eo consilio, ut festinatio iu-
vetur.

etiam magis perspicietur, si horum locorum naturam paululum inspexerimus.

Primum eos locos inspiciamus, in quibus dativi cum iis verbis videntur proxime coniungendi esse, quæ etiam alias cum dativo casu connectantur. Difficillimum de quibusdam locis est indicium, quum verba nonnulla dativum casum alias quidem asciscant, sed fortasse non eodem sensu. Verba nonnulla afferimus; *reservari* (Agr. 31), quocum conferatur *reservare se rei publicæ* (Liv.); *insistere* (H. III 77), cf. *i. pugnae* (Cæs.), *spei* (Liv.), *studiis* (Quint.) al.; *statuere spatia* (An. II 36) et *statuere biduum* (An. III 13), cf. *st. modum diurnitati imperii* (Cic.), *diem insidiis* (Sall.); *adiicere* (An. II 65), cf. *sacerdotibus creandis animum adiecit* (Liv. I 20, 1, cf. Liv. XXII 22, 8), cf. Nipperdey ad An. XIV 3; *eximere* (An. III 22) ex ea, quæ apud Tacitum eiusque æquales est, huius verbi structura, cf. Boetticher Lex. Tac. s. h. v., Nipperdey ad An. I 48, XIV 64; *adornare* (An. VI 37) cf. An. XII, 13 *venatui*; *finire numerum* (An. XIII 49), cf. *f. tempus alicui* (Cic.). Fortasse etiam de aliis quibusdam verbis idem iudicari potest, ut *adferre* (An. VI 50, XV 9), *præbere* (An. XII 48), *dare* (An. XVI 2), *deligere*, al. Ad verba, quæ sunt *observare* (H. I 18), *reperire* (H. V 13), *firmare* (An. IV 73), *eloquentiam vel facundiam exercere* (An. XIII 42, XV 48) dativos commodi, qui vocantur, positos suspicari possumus.

Tum haud scio an quædam locutiones, quæ maxime ad rem publicam administrandam pertineant, e similitudine quadam vetustorum vulgatorumque dictorum exstiterint: locutiones *sodales instituere* (An. I 54) et *ensoria potestate fungi* (An. III 30) fortasse conferri possunt cum dictis illis, in quibus vel nominibus magistratum vel voci comitorum subiunguntur dativi nominis gerundivique. Ac forsitan verbum *pollere* (H. III 55) ex ea significationis similitudine, quæ ei cum verbo suffiendi est, cum dativo coniungatur.

In quibusdam locis Tacitus suo more ad variandam orationem dativum videtur adhibuisse: An. II 37 *refero ad* et sequ. dat., An. XIII 11 *vulgare* sequ. et dat. et gen. gerund. Cf. *opportunus* sequ. dat. et ad An. II 6, 12.

Atque etiam si eos, de quibus iam diximus, locos ita explicandos censemus, plurimi loci restant, qui eius modi explicationem respuere videantur. In his locis, qui omnes fere in Annalibus insunt, dativo nominis gerundivique finem quendam propositum significari persæpe manifestum est. Inspiciatur ipse index locorum. Atque in locis nonnullis, ut An. XV 18 *dissimulandis curis* et An. XV 69 *dissimulando metu*, dativos prorsus vice euuuationum finalium fungi negari non potest.

2. De hoc dativo ex adiectivis pendente vel cum adiectivis proxime coniungendo.

Quum hic nobis non proposuerimus, ut de dativo universo ageremus, eos locos hic missos facio, in quibus dativus gerundivi cum iis adiectivis coniungitur, quæ haud raro dativum casum sibi asciscant, ut sunt *aptus* (H. III 31, 16) *facilis* (An. V 11, 2) *habilis* (An. XII 41, 3), *inhabilis* (An. III 43, 11), *idoneus* (An. I 23, 15), *impar* (H. IV 1, 16), *incuriosus* (An. XIV 38, 8), *intentus* (H. IV 69, 17), *maturus* (H. II 1, 5), *melior* (H. IV 71, 3), *promptus* (An. XII 4, 7), al.

Affero vero hos locos, in quibus vel minus usitata videtur adiectivi cum dativo casu structura vel manifestior inest dativi finalis significatio. G. 11, 5 *agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt*. H. II 5, 14 *arte compositus adliciendis etiam Muciani moribus*. H. II 6, 20 *parando interim bello secundum tutumque ipsum mare*. H. IV 1, 16 *duces partium accendendo civili bello acres*. eqs. H. IV 11, 6 *sed civitas rimandis offensis sagax*. eqs. H. IV 68, 29 *turbidus miscendis seditonibus*. An. II 57, 7 *amici*

accendendis offensionibus callidi. An. III 10, 8 *Tiberium spernendis rumoribus validum* eqs. An. III 60, 7 *nec ullum satis validum imperium erat coercendis sediti-
onibus populi.* An. IV 37, 4 *validus alioqui spernendis
honoribus.* An. VI 24, 18 *callidum olim et tegendis
sceleribus obscurum.* An. VI 51, 13 *occultum ac subdo-
lum fingendis virtutibus.* An. XI 9, 13 *potiorque
Vardanus visus retinendo regno.* An. XIV 59, 9 *reper-
tus est certe per medium diei nudus exercitando cor-
pori.*

3. De hoc dativo cum nominibus proxime coniungendo.

Notissimum est ne optimos quidem scriptores aureæ, quæ dicitur, ætatis, ab hoc usu abhorre, quamvis rarus apud eos omnino sit et perangustis finibus terminatus. Quum dicit Cic. Div. I 17, 33 *comitia consulibus rogandis habuit* vel Leg. agr. II 8, 20 *Iubet enim comitia decemviris habere creandis eum, qui legem tulerit*, non possumus non putare dativos illos nominum gerundivorumque cum nomine *comitiorum* proxime connectendos esse. Deinde afferendæ sunt locutiones illæ notissimæ *decemviri legibus scribendis, stlitibus iudicandis, quindecimviri sacris faciundis, curator muris reficiendis, triumviri agro dando* sim. Eiusdem generis videntur esse hæc dicta: *quum dies venisset rogationi ferendæ* (Cic.), *his avertendis terroribus in triduum feriæ indictæ* (Liv.), *ut supplicatio prodigiis expiandis fieret* (Liv.), *legem censui censendo dicturos esse* (Liv.), *Philo Romæ iuri dicundo urbana sors . . . evenit* (Liv.)¹⁾. Animadvertendum est omnia hæc dicta ad rem publicam administrandam spectare.

Iam ad locos Taciteos afferendos venimus, in quo ætatem librorum sequemur. Sunt loci, de quibus dubitari possit, utrum dativi e verbis potius vel e totis enuntiatio-
nibus an e nominibus pendere existimandi sint, ut An. I 62. Quod aptins videbatur secutus sum.

¹⁾ Conf. Draeger, Hist. Syntax II 804, 808.

H. I 41, 9 *alii (prodidere) . . . paucos dies exsolvendo donativo deprecatum*. H. II 21, 14 sq. *Vitelliani pluteos cratesque et vineas subfodiendis muris protegendisque obpugnatoribus, Othoniani sudēs et immensas lapidum ac plumbi ærisque moles perfringendis¹⁾ obruendisque hostibus expediunt*. H. III 20, 15 *mox conversus ad singulos, num secures dolabrasque et cetera expugnandis urbibus secum attulissent, rogabat*. H. III 32, 16 *Is balineas abluendo cruori propere petit*. H. III 70, 7 *Cur enim e rostris fratris domum, imminentem foro et inritandis hominum oculis²⁾, quam Aventinum et penates uxoris petisset?* H. IV 48, 4 *Legio in Africa auxiliæque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant*. H. V 12, 4 *cavati sub terra montes et piscinæ cisternæque servandis imbribus*. H. V 19, 6 *gnarus deesse naves efficiendo ponti eqs.* An. I 62, 5 *Primum extruendo tumulo cæspitem Cæsar posuit*. An. II 26, 16 *Precante Germanico annum efficiendis coeptis eqs.* An. II 33, 3 *decretumque ne vasa auro solida ministrandis cibus fierent eqs.* An. II 88, 3 *si patrandæ neci venenum mitteretur*. An. III 12, 3 *Patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse adiutoremque Germanico datum a se auctore senatu rebus apud orientem administrandis*. An. III 15, 14 *tum solita curando corpori exsequitur*. An. III 40, 13 *egregium resumendæ libertati tempus eqs.*

¹⁾ *vineis* hic addit Classen, *operibus* addendum coniicit Halm, receperunt Nipperdey et Heræus.

²⁾ Hos dativos Heræus ad h. l. cum verbo *petisset* propius connectendos esse censet, sed, ni fallor, et prorsus desunt apud Tacitum loci, ubi verbum *petendi* dativus gerundivi insequatur — nam H. III 32, 16 vox *balineas* maiorem habet vim quam verbum *petit* — neque ullus est in Historiis locus, in quo verbum eundi veniendi cum dat. gerund. coniunctum videamus. Tum, si sensum huius loci respicimus, minus aptum videtur quærere, cur fratris domum petisset eo consilio, ut oculos hominum inritaret. Interpretamur ita: *domum imminentem foro et obscur inritandis h. oculis*.

An. VI 8, 7 *Videram collegam patris regendis prætoris cohortibus eqs.* An. XIII 38, 13 *locumque delegit, cuius pars altera colles erant clementer adsurgentes accipiendis peditum ordinibus, pars in planitiem porrigebatur ad explicandas equitum turmas.* An. XIII 53, 6 *ille inchoatum . . . a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit eqs.* An. XIV 3, 19 *Additurum principem defunctæ templum et cetera ostentandæ pietati.* An. XV 6, 11 *Nam . . . proprium ducem tuendæ Armeniæ poposcerat eqs.* An. XV 14, 8 *Tum Pætus Lucullos, Pompeios et si qua Cæsares optinendæ donandæve Armeniæ¹⁾ egerant . . . memorat.* An. XV 42, 10 *Neque enim aliud unidum gignendis aquis occurrit quam Pomptinæ paludes.* An. XV 43, 15 *et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet.* An. XVI 17, 10 *simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis.* An. XVI 31, 3 . . . *monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret eqs.*

Interest fortasse afferre ex his locis, quorum numerus est quinque et viginti, octo esse Historiarum, octo prioris partis Annalium, novem posterioris.

Addo nonnullos locos, de quibus incertius est iudicium. H. II 2, 4 *sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum, ubi dativus nominis gerundivique cum eo, quod est 'impedimentum erat' coniungendus videtur.* Conferimus eos locos, ubi est verbum *deesse*. H. II 100, 13 *habet codex mox Patavi secretum componendæ proditiōis quæsitum.* Halm scribit *proditiōni*. Sed, quamquam dativus hic nequaquam ab usu Taciteo abhorret, etiam genitivus casus hand dubie ferri potest, cf. Heræus ad h. l. In loco H. III 49, 11 *Quæ (militaris violentia) seditiosa et corrumpendæ disciplinæ mox in prædam vertebat* utrum genitivus casus an dativus inesse putandus sit, non facile diiudicatur.

¹⁾ Fortasse hæ voces in genitivi casu posita putandæ sunt.

Antequam ad hos locos examinandos transeamus, pauca præponimus de iis locutionibus, in quibus ab optimis scriptoribus dativi nominis gerundivique nominibus substantivis subiunguntur. Sunt autem illa nomina modo vocabula et magistratum et temporis (*dies, feriæ*) modo voces comitiornum legis al. Ad interpretanda verba *decemviri legibus scribendis* non simul audiendum est participium verbi deligendi, quod est *delecti*, quum verbum deligendi in hoc usu posterioris videatur esse latinitatis neque facile intellegatur, cur, si principio additum sit, postea ubique omittatur. Audiendum vero, ni fallor, verbum substantivum: *decemviri*, qui sunt (erant, fuerunt sim.) *legibus scribendis* vel potius *decemviri õvtes legibus scribendis* i. e. decemviri, qui possunt leges scribere, qui id agunt, ut leges scribant. Ac fortasse ex eo ipso, quod latina lingua hoc participio verbi substantivi caret, hoc dictum mutilatum exstitit. E simili ratione aliæ eiusdem generis locutiones explicandæ videntur. Simul auditur figura quædam verbi substantivi, quo significatur verbum, quale est posse, sufficere, idoneum, aptum esse vel t. q. ¹⁾. Conferimus Liv. XXX 6, 3 *ea modo, quæ restinguendo igni forent, portantes*, Tac. An. XII 68, 4 *dum quæ forent firmando Neronis imperio componuntur*, similia.

Locos Taciteos in quattuor classes distribuimus. Primam eam ponimus, in qua sunt voces *adiutor* (An. III 12), *collegam* (An. VI 8), *ducem* (An. XV 6), *procuraciones* (An. XVI 17). Videntur hæ voces cum vocabulis illis magistratum, quibuscum dativi nominum gerundivorumque sæpissime connectuntur, proxime conferri posse. Deinde sunt nomina, in quibus est notio temporis, *dies* (H. I 41), *annum* (An. II 26), *tempus* (An. III 40), quibus locos consimiles apud superiores scriptores non deesse iam vidimus. Sequuntur nomina, quæ significationem adiumenti vel instrumenti præbent, *pluteos cratesque*

¹⁾ cf. Teipel, Zeitschrift für das Gymnasial-wesen XII, Berlin 1858, p. 552, cui eandem fere incidisse sententiam iam video.

et vineas, sudēs, moles (H. II 21), *cetera* (H. III 20), *naves* (H. V 19), *cæspes* (An. I 62), *vasa* (An. II 33), *subsidia* (An. XV 43), *pecuniam* (An. XVI 31). In iis, qui restant, locis inest significatio rei, quæ idonea vel apta est ad aliquid faciendum. Afferò nomina: *balineas* (H. III 32), *domum* (H. III 70), *auxilia* (H. IV 48), *cisternæ* (H. V 12), *venenum* (An. II 88), *solita* (An. III 15), *colles* (An. XIII 38), *agger* (An. XIII 53), *cetera* (An. XIV 3), *qua* (An. XV 14), *aliud unidum* (An. XV 42).

